



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 32. Matthæus Priulus & Antonius Caetanus Cardinales mortui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVI. Scriptores altum silentium, & ne quidem de Guilleti, tanquam primarii fraudis Architecti fato mentionem faciunt Calvinistæ fidelissimi hi Regum subditi.

§. XXXII.

Matthæus Priulus & Antonius Caetanus Cardinales mortui.

*Ciacon. vit.
Pauli V.*

Ex Cardinalibus, qui hoc anno naturæ debitum solverunt, erat Matthæus Priulus, Patritius Venetus, qui a Paulo V. Romam accersitus, & primo Pontificii cubiculi ministerio addictus, dein Cardinalis Presbyter renuntiatus est; ast octavo post obtentam Purpuram anno tabe consumptus die decima tertia Maij anno ætatis suæ quadragesimo septimo Romæ obiit. Hunc ejusdem Mensis die decima septima eadem fati necessitate sequebatur Antonius Caetanus patria Romanus, qui variis scientiis excultus crescente meritorum fama a Paulo V. Episcopus Capuanæ Ecclesiæ præficiebatur, atque in Germaniam, & Hispaniam Apostolicæ Sedis Nuntius, tandem a Gregorio XV. Cardinalium Presbyterorum Collegio cooptatus, tertio post anno Romæ vitam cum Purpura exiit, annos natus quinquaginta octo. Vir erat ap-
prime

prime doctus, & si calami mordacita- Sæc. XVII.
 tem excipias, prudens, morumque A. C. 1624.
 comitate suavis. Sub ejus auspiciis
 Romæ *Academia Humoristarum* sua in-
 cunabula habuit.

§. XXXIII.

*Alexandri Estensis Cardinalis
obitus.*

Ejusdem hujus anni die vigesima se- Ciacon. in
vita Clem.
VIII.
pag. 342.
 cunda Maij Romæ decessit Alexan-
 der Estensis, Ferrariæ Dux, qui Patavii
 in liberalibus disciplinis, & Pontificiis,
 Cæsareisque legibus tam uberes fece-
 rat progressus, ut in patriam reversus,
 unicus controversiarum, quæ accide-
 rant, Arbitrarius audiret, quin tamen in
 iis, circa quæ dubitabat, ab aliis con-
 siliium quærere erubesceret. Postquam
 vero Alphonfus II. Ferrariæ Dux sine
 prole decesserat, & Cæsar Mutinæ Dux
 Alexandri Frater, in quem Alphonfus
 successionis jura devolverat, a Cle-
 mente VIII. a Ferrariensi Ducatu Se-
 dis Apostolicæ feudo, eoquod ex ille-
 gitimo thoro susceptus fuisset, exclusus
 fuerat, Alexander ab eodem Papa Car-
 dinalis Diaconus nominabatur, Sacer-
 dotium tamen nonnisi tertio ante mor-
 tem suam anno suscepit, Regiensis
 Episcopus creatus, quam etiam Ec-
 clesiam